

timi mensis, nilque aliud est, nisi brevis indicatio originis cujusvis jejunii.

XV. fol. eod. p. 2. *Incipiunt cronica succincte scripta de regno hebreorum.* Initium: *Quadragesimo tercio anno nini regis assiriorum &c.* Decurrunt a nativitate *Abrahae* per utrumque regnum usque ad *Hierosolymae* per *duos urfos*, ut dicitur, *Vespasianum* et *Tantum* destructionem.

XVI. fol. 268. *Incipit liber proemiorum de plenitudine librorum ueteris ac noui testamenti quos in canonem catholica recipit ecclesia iuxta uetustam priorum auctoritatem.* Enumerantur primum breuiter Libri omnes V. T. canonici hoc initio: *In principio uidelicet quinque libri Moyse &c.* Dein cuiusvis Libri *ἑπιτομή* exhibetur. v. g. *Genesis iuxta fidem hystorie describit fabricam mundi &c.* Desinit: *flumen eciam baptismi. mundum uite in dominum ihesum christum.*

XVII. pag. ult. *Commentariolum de Literis hebraicis una cum earum figuris.* Incipit: *Hebraicarum literarum forme due sunt. Vna antiqua qua samaritani utuntur. altera posterior qua iudei &c.* Edidit *Vallarsius* ex *Cod. Mediol. Ambrosiano* T. XI. Opp. *Hieronymi* p. 304. hac ibi hedera: *Incipit Descriptio Eusebii Sophronii Hieronymi de formis Hebraicarum literarum*, et quanquam, ut oportuit, abjudicet *Hieronymo*, alphabeto tamen adpicto plus tribuit, quam imperitae manus ductus, in *Cod. cit.* et nostro parum

congruentes, promereri videantur.

LXXXVIII. VI. C. 31

Codex chartaceus hisp. Sec. 157 XVI. Folior. 201. f. est *Commentarius in primos XLI. Psalmos Davidicos*, qui sine Autoris nomine et Praefatione statim incipit: *Salmo primero. En este Salmo qui es como probemio de todo el Salterio muestra dauid el bien de la piedad y el mal dela ynpiedad &c.* Defaecatae pietatis interpretatio est, versumque ex versu expendit. Desinit: *Los hebreos diuidiendo todos los salmos en cinco libros hazen a qui el fin del primer libro dellos.* In Autorem frustra inquisiui.

LXXXIX. VI. E. 12

Codex chartaceus lat. Sec. 301 XV. Folior. nunc 84. f. partim per 2. columnas exaratus ad Cl. *Lambecium* olim devenisse videtur ex inscriptione *Pag. 1. Honorabilis vir dominus Andreas steenbecke de lentze perpetuus vicarius in Capella Sancti spiritus Hamburgensis donauit hunc librum in suo testamento ad lecturam doctorem pro anime sue salute. Qui obiit Anno Domini MCCCCLXXV. hora quarta summo mane post dominicam Cantate post Pasca. Requiescat in Pace.* Exhibet is I. *Innocentii III.* Pont. Rom. antea dicti *Lotharii* ex Comitibus *Signiae*, qui sedem ab an. 1198. usque ad an. 1216. tenuit, *Expositionem*
in

in VII. Psalmos dictos *Poenitentiales*, quorum Praefatio incipit: *Ne inter occupationes multiplices et sollicitudines vehementes &c.* Opus vero ipsum: *Cum omne tempus septem dierum repetitione decurrat &c.* Finis: *utcunque descripsi ad laudem et gloriam nominis ihesu christi, qui cum patre &c.* Addit Librarius: *Explicit explicatio VII. penitentialium psalmodum edita per sanctissimum patrem nostrum ac dominum dominum Innocencium romane urbis antistitem et III. huius nominis papam. Finitum et completum Sub anno domini M^o CCCC^o. VII^o. in vigilia symonis et iude apostolorum.* Extant Commentarii hi separatim impressi Coloniae 1551. et 1566. 8. et *ibid.* 1552. et 1575. f. inter *Opera Innocentii omnia*, quae, cum pietatem singularem et virtutem spirent, difficile plenam fidem accusationibus adhibeas, quibus a quibusdam Scriptoribus impetitus est.

II. fol. 79. *Incipiunt testamenta XII. patriarcharum in quibus sunt pulcherrime et aptissime propheticie de christo que transtulit magister robertus Dicitur grossum caput (Grossthead, Grosstetst, Capito) linconiens. episcopus de greco in latinum.* Testamenta haec a Iudaeo quodam in Sec. I. et II. confiniis excogitata sed a Christiano postmodum interpolata, si Codici *ms. Bibl. Bodl.* 75. et *Norvicensi Job. Mori* 177. fides est, ex Hebraeo in Graecum transtulit *Johannes Chrysost.* Agit de iis

fuse doctissimus *J. Ern. Grabius* in *Spicil. SS. PP.* T. I. Oxon. 1714. p. 129. 8. ubi ea graece et lat. repraesentat. Inde *Fabricius* in *Cod. Pseudepigr. V. T.* ad p. 496. transtulit. Versionis nostrae editionem *Paris.* 1549. 12. primam habuit *Grabius*, atque ita vitiosam in *Orthodoxographa* et *Bibliothecas PP.* transtulisse queritur. Sed adjacet mihi Editio multo antiquior *char. goth. f. l. et a.* 24. foll. 4. unde fortasse ceterae omnes dimanarunt, ut suadet instituta collatio. Ad hujus Editionis calcem habetur Notitia illa de Versione *Testamentorum*, quam etiam *Grabius* ex *Cod. Coll. Trinit.* p. 252. repraesentat, sed omittit *Fabricius*, a quo p. 758. adlata *Testamentorum* Editio per *Menradum Molterum* 1483. ut verum fatear, mihi suspecta est. Illa porro Notitia in Editione mihi adjacente amplior est *Grabiana*, adiutoremque illum *Roberti Lincolnensis* in *Testamentis* vertendis *Nicolaum Graecum Redorem Ecclesie de dachet* adpellat, quod a nemine praeter *Tannerum* in *Bibl. Brit. Hib.* commemorari video. Verum, ut jam ad *Codicem* redeam, hoc ejus est initium: *Ruben interpretatur visionis filius. Prius quam moreretur in vicesimo septimo (omnes al. quinto) et centesimo anno vite sue Post duos annos mortis Joseph egrotans dixit filiis suis Ecce coram deo testificor vobis deum celi hodie &c.* Atqui haec satis ab Editis abeunt. In *Testamento Gad* deficit *Codex*
O 3 ver-

verbis illis: *in opere et sermone et operatione anime Ego autem coram* — —.

XC. VII D. 23

261 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 429. f. per duas columnas currente calamo scriptus hanc in Theca anteriore praefert notam: *Hunc librum testatus est Domui Collegij ducalis Wienn. Egregius vir Magister Andreas de weytra Sacre Theologie professor eximius &c. Vir hic cognomine Hofmüller post gestos a. 1432 et 39. academicos fasces a. 1452. etiamnum superstes et facultatis suae Decanus fuit. Liber porro sequentia complectitur: I. Domini Petri de eliaco (Alliaco, d'Ailly) episcopi Cameracensis postmodum sancti Crisogoni presbiteri Cardinalis expositionem super septem psalmos penitentiales. Praefatio incipit: *Penitentia uera velud scala quedam est &c. Ut alibi.**

II. fol. 13. *M. Hainrici de bassia*, ut in subscriptione dicitur, *epistola pacis. Anno domini 1420.* Annus hic absque dubio Librarii est, cum annum 1397. supremum habuerit *Henricus*, titulus vero operis non parum involvit Scriptores, dum inter ea, quae Autor noster de Schismate inter *Clementem VII.* et *Urbanum VI.* elucubratus est, alii *Consilium Pacis*, alii *Epistolam Pacis*, alii *Dialogum de Schismate*, alii *Carmen inuectiuum in Schisma sui temporis* memorarent. Negotium ex parte extricatur, si sciat lector, *Epi-*

stolam nostram Pacis eandem esse cum *Consilio Pacis*, quod Capite I. mutilum *Hermannus von der Hardt* ex *Cod. Helmstad.* inferuit T. II. *Concil. Constant.* P. I. quo loco lapsus vir doctus *Henricum nostrum fata Constantiensis Concilii vidisse et superasse* in titulo scripsit. Miror vero, cum ei multa sane ad vastum illud Opus supeditarit *Bibliotheca Caesarea*, *Codicem* praesentem praeteritum fuisse. Sed neque, qui *Gersonis Opera Antverpiae*, ut saltem fert titulus, a. 1706. edidere, conati sunt Caput illud I. unde unde recuperare, *Traëctatum κεφαλον T. II. col. 809.* ex *Herm. v. d. Hardt* repraesentare contenti. Ejus igitur ut integritati consulatur, totum illud Caput huc exscribendum duximus.

Uniuersis nauicula (sic) Petri gubernacula inter undosi maris procellas regentibus ceterisque orthodoxis reformande ecclesie ministerio quomodo libet astrictis, mecum qualiscunque sim, cogitare que ad pacem sunt iberusalem. Vidi iniquitatem et contradictionem in Ciuitate, diuinus dixit propheta. Qui incolis ciuitatem Dei, que est Fidelium vniversalis ecclesia, sedentibus in tabernaculis Fiducie et in requie opulenta incrassatis, impingwatis et dilatatis. Caro incaluit, refriguit spiritus, sapuit mundus, insipuit Deus, insurrexit dyabolus, et virtutibus proscriptis succreuerunt vicia. Semitas patrum obliquauit posteritatis malicia: violata sunt ecclesiastica decreta, quoniam Christi ecclesia in sangwini-
bus